



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

8. de angelorum incorporeitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

CAP. 5. *Solus Deus creat.*

Sicut ergo mentē nostram iustificando formare non potest nisi Deus: Prædicare autem extrinsecus Euangeliū etiā homines possunt, non solū boni per veritatem, sed etiam mali per occasionē: ita creationē rerum visibiliū Deus interiūs operatur, scilicet occulta semina rerū, quæ Deus eis indidit. Exteriores autē operationes atque contemplationes ab Angelis, tam bonis quàm malis, vel etiam hominibus adhibentur. Sed ab hominibus tantò difficiliūs, quātūm eis desunt sensuum subtilitates.

DE ANGELORVM
Incorporeitate.DISTINCT. Octauæ
CAP. Primum.*De substantia Angelorum varia opinio fuit.*

Quidam dicunt, innitentes verbis Aug. omnes Angelos ante confirmationē vel lapsum corpora aerea habuisse de priori ac superiori aeris parte formata, ad agendum, non autem patiēdum habilia: ad patiēdum enim humor & humus, ad agendum aer & ignis aptitudinem præbent: ita vt Angelis bonis qui perstiterunt, talia sunt obseruata corpora, vt in ipsis

N ij

f. 90 a.

possint facere & pati: tantæque sunt tenuitatis, vt à mortalibus videri non valeant, nisi grossiori superueſtita aliqua forma. Angelis verò malis mutata sunt in casu corpora in deteriore qualitate tantò spissioris aeris, quantò in locum inferiorem, id est caliginosum aerem deiecti sunt. Alij dicunt plurimos catholicos tractatores in hoc conuenisse, quòd Angeli in corporei sunt, nec corpora habent sibi vnita: assumunt autem alij corpora, Deo præparante, ad impletionem ministerij sui sibi à deo iniuncti: & sic aliquando apparuerunt ac loquuti sunt, aut ex persona Dei, sine distinctione personarum: aliquando ex persona Patris, vel Filij, vel Spiritus sancti. sic & Deum apparuisse nullatenus dubitandum, vt Aug. ostendit libro secundo de Trinit. Cap. 7

De^o in corporalibus formis, sicut angeli apparuit.

Questio.

Aug. lib. 2. de Tri. perplexam questionem proponit, vtrū Angeli qui mittebatur, seruatibus suis propriis spiritualibus corporibus, superueſtireretur aliqua corpulentiori specie ad hoc op^o denouo creata, in qua possent videri: an ipsum corpus mutaret & transformaret in quacūq; verā vellēt specie: (sicut aqua vera in verū vinum cōuersa est à Domino) ad id quod volūt accommodandā, in qua possent cerni. Quam quæstionē, attende lector, non soluit, sed indiscussam reliquit. Ex cui^o ver-

bis Angelos corporeos esse videtur affirmã
dũ, propriaq; ac spiritualia habere corpora.

CAP. Secundum. Deus in sua specie
mortalibus nunquam apparuit.

CAETERũ hæc velut nimis pfunda at-
que obscura relinquentes, illud indu-
bitanter teneamus, quòd Deus in spe-
cie essentiæ suæ nunquã mortalib⁹ apparuit:
sicut famulo suo Mosi dixit, Nõ videbit me
exo. 33 homo, & viuet. & in Euang. Iohan. Nemo
Iob. 1. Deum vidit vnquã. Visibile enim quicquam
non est, quod non sit mutabile. ideo substan-
tia Dei cum nullo modo sit mutabilis, nullo
modo per seipsam est visibilis, &c. Proinde il-
la omnia quæ patribus visa sunt, cum Deus
Aug. illis præsentaretur, per creaturam facta esse
li. 1. de manifestum est.
tr. c. 10

in fine. CAP. Tertium. Dæmones non illabuntur
substantialiter mentibus hominum.

Mat. 8. CVM Dæmones in homines introeant,
et Mar. 1. ac ab eis expulsi exeant, vt Euã. aperte
declarat, illud consideratione dignissi-
mum videtur, an substantialiter intrent cor-
pora, ac eorum mentibus illabantur: an ideo
intrare dicantur, quia malitiæ suæ ibi effe-
ctum exercent, Dei permissione opprimen-
do atque vexando eas, vel in peccatum pro
voluntate sua trahendo. De hoc Aug. in lib.
Ca. 82. de Eccles. Dogmatib⁹ ait: Dæmones per e-
nergiam non operationẽ credimus substan-

tialiter illabi animæ, sed applicatione & oppressione vniri: Illabi autem menti, illi soli possibile est, qui creauit, qui natura subsistens incorporeus, captabilis est suæ facturæ. Beda quoq; in locū Actū 5. Cur impleuit sathanas cor tuum? dicit quòd sathanas impleuit cor Ananiæ, non intrando, sed malitiæ suæ virus inferendo. His auctoritatibus constat quòd dæmones non substantialiter intrant corda hominū, sed propter malitiæ effectū, de quib' pelli dicuntur, cū nocere nō finūtur.

DE CONSEQUENTIBVS

confirmationem Angelorū quantū ad ordinum distinctionem.

D I S T I N C T. Nonæ
C A P. Primum.

Novem sunt ordines Angelorum, & ordinum tres Hierarchiæ.

Scriptura in pluribus locis nouē esse ordines Angelorum, in hisque ordinibus tria terna esse, & in singulis tres ordines vt trinitatis similitudo in eis insinuetur impressa, promulgat. Vnde Dio. tres Angelorū *Lib. 1.* ordines esse tradit, ternos in singulis ponēs. *Ecl.* sunt enim tres superiores, Seraphin, Cherubin, Throni: Tres medij, Dominationes, *Ca. 6.* Principatus, & Potestates: Tres inferiores, Virtutes, Archangeli, Angeli.